

gitur, & ad eam componitur, ac per eam ad mutua officia conjugati obligantur. *Amor*, quo Christus in ecclesiam ac sanctos fertur, ratio est, quæ maritos ad uxores amandas impellit, & *obsequium*, quod sancti debent Christo, principium & norma est obedientiæ, viro ab uxore præstandæ, ut apostolus Ephes. v. 24, 25. affirmat. Quod si conjugium, ut typus ac emblemata, non aliter ex. gr. ac pastor & grex, Christum & ecclesiam expingeret; officia conjugii a mytico ejus intellectu, non majore jure, quam ea pastoris & ovium derivari possent. Pastor diligat oves, ut Christus ecclesiam, durus foret sermo, nec usquam occurrit.

Demonstratio continuatur ex 1 Cor. xi. quæ pericopa illustratur.

XVIII. 4. Confirmat argumentationem, quod uxor viro, non tantum qua marito, quocum copulata est, sed qua imagini ac repræsentamini Christi, obedientiam præstare teneatur, quod arctissimæ relationis ad Dominum est præclarum indicium. Conjugati sunt singuli membra Christi, atque adeo ad ejus *sponsam* pertinent: in hac unione collocati secum invicem in unam carnem junguntur, ut unionem illam in se exhibeant, eique subserviant; quare se invicem in Domino considerant, uxor in marito Dominum, & hic in uxore ecclesiam, ad quam ambo pertinent, conspiciunt, eoque respectu officiis, sibi invicem præstandis, defunguntur. Est, fateor, grande in eo mysterium, sed cum Pauli mente directe conjunctum. *Mulieres propriis maritis tanquam Domino subjæctæ sint*, inquit Ephes. v. 32. sed, nisi hanc hypothesein alibi planius jecisset, in eo generali dicto forte quis minus acquievisset. Quæ apostolus de uxoris capite tegendo, & eo mariti relecto, disserit 1 Cor. xi. 3. &c. huic, quam memoravi, innixa sunt hypothesei, nec sine illa commode explicari possunt. Quod ut eniteat, in illustri illa pericopa aliquid operæ poluisse non abs re erit. *Argumentum* ejus huc redit, *mulierem nuptam, capite velo adscitito tecto, in publicis religionis actibus debere versari*. Sub *mulieris* nomine virgines, & innuptas, itidem comprehendit, multis evincere conatus est *Tertullianus* a, quem alii passim secuti sunt. Præcipua ratio, ex qua id colligebat, in naturali velamine *crinium*, cujus vers.

15.

a de velandis virginibus cap. vii.